



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Academia Peccatorvm. Seu Conciones De Tota Parabola Prodigi Euangelici

Qvae Poenitentia Peccatorvm Sev Conciones De Prodigii Evangelici Reditv
Ad Patrem

Bosquier, Philippe

Moguntiae ; Coloniae, 1615

XXI.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55940](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55940)

CONCIO XXI.

Græca.
Vulgata.
Syriaca.

8. Ἀναστὰς προδύσωμι πατὸς τὸν πατέρα μου, & εἰπὼ αὐτῷ.
8. Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam ei.
8. Surgam, proficiſcar ad Patrem meum, & dicanti.

ARGVMENTVM.

- Tracta-
bimus
hodie
1. Virū liceat peccatoribus, aliquo ad Deum intercessore vri, & quis ille ſi.
 2. Quod licita vtiliſq; ſit defunctorum Sanctorum ad Deum interceſſio.
 3. Quæ in contrarium argumētã fieri poſſunt, & quomodo ea ſint ſoluentia.

A V E.

I.

Virum liceat peccatoribus aliquo ad Deum intercessore vri, & quis illi esse debeat.



VIA sæpe & diximus, & dicimus, & dicemus in posterum, quod Prodigus iste eiusq; opera, statim nobis representet peccatoris; & quia in ipso commendauimus quod aliis omnibus omissis mediatoribus, recta ad patrem suum contenderit: videri possent alicui, qui hic Scotizare, ac plulculum arguari velit, rectius facturi homines maxime peccatores, quando peccatorum suorum veniam, aut arcendis malis gratiam Dei implorant, si recta ad thronum Diuinæ misericordiæ accurrant, nulliusq; sancti intercessionem expectent; imo sic non solum facturi rectius, sed etiam sine Dei offensa ipsorum operam non posse adhibere. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratia. Recta, recta, cum insigni fiducia. Recta ad-ibam ipsum patrem, dicens; Pater noster qui es in caelis. Nemo Di-*

Hebr. 4.

no Diuorum illo citius audit, aut libentius donat quod petitur. Totus quasi tempestate obrutus, recta cucurrit ad patrem, dicens, *Pater noster qui es in caelis.*

Neminem habet inter Sanctos qui nos exaudiat citius, qui libentius postulata concedat. Sic in Dialogo de Naufrago, Erasmus Adolphum suum introducit loquentem. *In circuitu impij ambulat, herent in circuitu Dei, & circumspiciunt ipsius Sanctos.*

Sed hoc dicere antiquissimi erroris est, quem quondam Eustachius quidam peperit, Vigilantius Gallus fouit, ac nostris temporibus Martinus Lutherus, Oecolampadius, & Calvinus ab inferis resuscitarunt, ac miser Erasmus, quod eadem senserit, quampluribus per colloquia sua fecit suspicionem. Quia igitur hęc error egregie impius, pater est plurium aliorum, aliquid illi hodie dandum est temporis, vt doceamus pessime esse fundatum.

Principio itaque notandum, quod aduersarij in eo nobiscum cōsentiant, quod nimirum possimus, imo & debeamus, communem omnibus habere intercessorem Iesum Christum, Mediatorem Dei & hominum, communem in cœlo Angelis, ac beatis spiritibus; & in terra viuentibus, iustis & peccatoribus; communem vtriq; testamento veteri & nouo, quem Pater cœlestis donauit nobis; cuius ductu liberè possimus ad ipsum accedere, comparere in conspectu eius, securiores certioresque nos exaudiri, eo vtentes Aduocato, cui nihil Iudex recusare possit; nobisque constet, preces & supplicationes nostras recte apud patrem institui, vtpote ab ipso prius bene cribratas ac perpuratas, vt nulla nobis oratio fiat in peccatum, interueniente illo qui (cum ipsa sit sapientia) nihil Patri, quam quod æquissimum est, proponet.

Quādo consideramus ex parte vna terribilem Dei maiestatem, ex altera indignitatem nostram; fieri nō potest quin refugiamus longissimè, ac intermittamus preces: sed magnus ille Mediator noster Christus Iesus iungit se nobis, ac medium interponit, vt commutet thronum terribilis gloriæ, in thronum gratiæ;

*Erasmus
colloquio de
naufragio.*

sicut admonet nos Apostolus, vt audeamus apparere ei, & cum bona spe ac fiducia diuinæ misericordie, gratiæ, atque auxiliij oportuni. *Audeamus ergo ad inueniam gratiam, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus, in auxilio opportuno.*

Hebr. 4.

Diuinam maiestatem læsimus cum filio Prodigio peccando in cœlum. siue vsq; ad cœum, i. peccata admisimus, quæ nihil nisi vindictam in cœlum elancti adeo vt illorum horrore nullum reditum cum Deo in gratiam per nos ipsos audeamus sperare. Iesus Christus illic est, vt nostram causam agat, pacem nobis à Patre impetret, cumque nobis reddat propitium.

1. Ioan. 2.

quis peccauerit (inquit S. Ioannes) *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.* Quis illo Aduocatus melior qui sapientissimus est? Nam Iesus Christus ipsa est sapientia, & armarium sapientiæ ac scientiæ Dei. Quis illo Aduocatus melior, quis eloquentior? Nam Iesus

Sapient. 1.

Christus ipsam verbum est, *Et hoc quod continet omnia scientiam habet vocis.* Quis illo Aduocatus melior? qui Iudici intimus est, ac familiarissimus? Nam Christus Iesus filius est vnicus, & dilectissimus, ipsumque cor nostri Iudicis. Quis illo Aduocatus melior, qui semper Iudici adest, sedet enim in dextera Dei patris.

1. Ioan. 2.

Aduocatum habemus apud Patrem: est in corde Patris. Quis illo Aduocatus melior, qui nulla vnquam causa cecidit? Nam Christus Iesus semper à Patre exauditus est, *Pater ego sciebam quia semper me audi.* Quis illo Aduocatus melior, qui clientis partes fouet, non tam lucri spe quam charitatis, consanguinitatis, & societatis affectu? Sed Christus Iesus est *Emanuel, nobiscum Deus.* Nobiscum igitur est, & totus pro nobis, amore illo quo nos complectitur, vt caput membra, Rex subditos, vt parens ossa de ossibus suis, vt frater fratrem sibi que iunctos. *Ascendo, inquit, ad Patrem meum & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum,* charitatem suam erga nos demonstrans, & mutuam fraternitatem. Quis illo Aduocatus melior, qui parti suæ benignam addixit sententiam, & quæ

quæcunque promisit potens est & facere. Iesus
Christus vero promisit se f. & arum quidquid per i-
lum postulauerimus. *Si quid petieritis Patrem in nomi- Ioan. 14.*
ne meo hoc faciam. Quis illo Aduocatus melior,
qui comparitur afflicto, ac ipse vt hoc possit, mi-
serias suscipit? Iesus Christus vero ex us quæ in mor-
tali vita passus est, compassionem didicit. Non *Hebr. 4.*
habemus Pontificem qui non possit compati infirmita-
tibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine
delicti peccato.

Hebr. 2. In eo in quo passus est & ipse, & tentatus, po-
tens est & eis qui tentantur auxiliari.

Virg. 2. *Aeneid.*

Non ignara mali miseris succurrere disco.

Quis tandem illo Aduocatus melior, qui omnia
pro Deo facit, ac pro labore suo nihil quærit, nisi
Dei gloriam, ac suam & clientum suorum salutem?
Iesus Christus autem solum hoc præ oculis habet. *Ioan. 14.*
Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo hoc faciam,
vt glorificetur Pater. Ideo faciam, vt Pater glorifice-
tur in Filio, & bonitate ac satisfactione eius.

Turpe eos euit à miseris descendere lingua,

Regia (crede mihi) res est succurrere lapsis: inquit
ille. Quem illo igitur meliorem optemus Aduo-
catum?

Certum est inde à mundi exordio neminem huc
vsque exauditum, in vlllo, nisi per fidem & gratiam
huius Mediatoris. Quid verò putatis fuisse causa,
quod in lege Mosaiica statueret Deus, vt summus Pō-
tif. x, cui soli legitimum erat in sancta sanctorum in-
gredi, ferret humeris nomina duodecim tribuū Israel,
& totidem in pectorali lapides pretiosos, populus ve-
rò staret à longè, vt supplicationes suas sacerdotis il-
lius ore porrigeret. Nonne vt figura ac ceremonia il-
la indicaretur longè nos à facie Domini submotos; &
quod mediatore indigeamus, q pro nobis vultui eius
appareat, qui nobis sanctus fiat Christophorus, qui
nos humeris portet, in pectore circumferat; vt eius
gratia exaudiamur. *Verus ille currus Israel & auriga*
eius

eius est. Omnes igitur etiam Iudæi hoc tenuere principium. Ea solum est differentia quod Iudæi, & quicumque ante aduentum Domini nostri Iesu Christi & passionem eius exauditi sunt, exauditi sunt per merita Messiaë, quem venturum credebant, sicut adhuc credunt: nos autem exaudiamur per merita Messiaë, qui iam venit, mortuus est, & resurrexit pro nobis. Solus enim interpres & os nostrum est quo loquimur ad Patrem; solus oculus quo videmus Patrem, solus dextera qua exigua nostra, nosque ipsos Patri offerimus. Quo sublato nec nos, nec Sancti, nec ipsi Angeli accessum habent ad patrem. Qui nisi fuisset optimo iure diceremus omnes, *Domine hominem non habeo*, qui scilicet mea promoueat. Ecce rationem cui semper Ecclesia preces suas concludat *per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. quasi hoc aut illud quod petimus, in gratiam filij tui Iesu Christi Domini nostri benignus concede. *Per quem*, inquit, ut mediator. *Maiestatem tuam laudant Angeli, adorant dominationes.*

Humani hoc etiam moris est, ut parentes in gratiam filiorum suorum nonnunquam aliquibus concedant veniam; sicut & contra filij in gratiam parentum.

Plutarch. in Them. st. som. I. vitarum.

Refert ut rem certam Plutarchus, quod suorum inuidia profugus olim Themistocles, ac in potestatem Admeti Regis Molossensium se permitrens, complexus brachus filium Regis, ita se ante ipsum abiecerit, cui plurimum suffragatur quod hoc supplicandi genus Molossij existiment efficacissimum, ac pene repulsæ securum. In gratiam etiam parentum non nihil aliquando remitti, in Nino exemplum est antiquissimum, ac grauissimum: qui ut primus Assyriorum Rex, sic & primus idololatriæ fuit author. Fertur enim ad Beli parentis sui defuncti statuam, eos primus instituisse honores qui soli Deo debentur, ac impetasse ut Beli effigiem omnes pariter colerent, sub nomine Iouis Babylonij, ac ibidem rei impunitatem consequerentur, qui ad hoc confugissent asylum; fortissima la-

ne ad

ne ad idololatriam illecebra. Frequentissimum etiã est tertio alicui gratiam facere, in fauorem alicuius quem impensè amamus, si hic pro eo interueniat. At Iesus Christus, filius Dei vnicus, ac dilectissimus, gaudium omne, ac æterni Patris anima, *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*, vt testatus est tam in transfiguratione quã in baptismo eius coram toto mundo Pater. Ergone mirum quod apud patrem tantum gratia valeat, vt ad fauorem ac intercessionem ipsius obtineamus omnia quæ per ipsum petimus? In hoc igitur cum aduersariis conuenimus, quod etsi recta & vno quasi saltu ad Deum patrem inferre nos possimus, exëplo Prodigii; facere nihilominus oporteat aliquid, quod non fecerit ipse, vt saltem insinuemur & præsentemur Deo, per Christum Iesum Mediatorem nostrum (vt paruus Benjamin ad Ioseph adductus est) & allegare merita eius, ac dicere, *Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum*, hoc aut illud nobis concede, *Ecce homo, ecce homo*. Aut potius orare Christum Iesum, vt causam nostram suscipiat, ac apud Patrem se interponat. Non quasi Christus Iesus flexis genibus abiectas obeat supplicationes; ex Apostolo enim discimus quod appareat vultui Dei pro nobis, ac cupiat mortis suæ pretium, quæ perpetui valoris est intercessio, huic aut illi speciatim prodesse.

Matth. 13.

In hoc autem dissidemus: quod nos Catholici admittamus & commendemus Sanctorum & Sanctarũ inuocationes, qui in cælis beati sunt, ac ibidem de perfectione sua exultant, vt nobis quasi honoratiores aulici opitulentur, ac causas nostras apud Deum agant.

Hoc aduersarij nostri nequiquam tolerant; sed accusant in super nos quasi quilibet nostrum ad arbitriũ suum Deos extraneos & idola sibi procudat: quasi intercessionis officium Christo detractũ, transferamus ad ipsius famulos; quasi de fide, diligentia atque industria primi nostri Aduocati diffidamus, Præsidis libellorum supplicum, maximè supra omnes affabilis.

Ecce

Ecce nostrum dissidium. Quod ut dirimerent aduersarij nostri via facti, tantum fuderunt sanguinem, ita humi raptarunt imagines, tot subruerunt monasteria, tot templa, tam magnifica, tam augusta, monumenta pietatis maiorum nostrorum, *veterum decora alia parentum.*

I I.

Licitum esse ac expediantissimum inuocare Sanctos defunctos pro nobis.

Cum igitur honor hic nobis de idololatria periclitetur, ac furti accusemur, plagiatus, sacrilegij, & cum Sanctorum, fidelium Christi ministrorum incedit, qui modo in caelis triumphant, quos, quasi magistri honorem zelantes, debitis exuerunt honoribus, ac nostra etiam damna misceantur, ne fraudemur tot tantisque corporis & animae subsidiis, ac solatiis, quae nobis a Sanctorum manu proueniunt: ne etiam nostrum silentium diaboli intento fiat opportunum, qui sentiens Sanctorum cultum & inuocationes tam opere suis obesse conatibus, nihil querit nisi illum penitus auferre; atque ipsum aduersae etiam parti sit damnosum, qui legentes forte vel audientes hinc possent capere fructum; ad scopulum hunc aliquantis pro nobis subsistendum est, ut ius nostrum, ac miserrime deceptorum ostendam errorem. Quos obsecro fraterne in nomine Domini, & per aduentum Domini nostri Iesu Christi, qui veniet iudicare viuos & mortuos, ad lucem tam splendidam aperire oculos, & aures ad veritatem tam fundatam. Incipiamus ergo cum omni claritate, absque omni maledicto, quod ab omni, maxime a Religionis disceptatione submouendum est.

Gen. 30.

Si Sancti inuocandi non sunt, cur quae ipse Deus apprensus Abimelech Regi post raptam speciosissimam illam Saram, uxorem Abraham, mandauit ut reconciliaretur Abraham, reddita ipsi uxore sua intacta atque intemerata, *Et orabit pro te Et viues?* Et cur Abraham orante retraxit flagellum Deus, à Rege, Regina, omnique

nique eius domo, vt clausi rursus fuerent vteri?

Cur mandauit Deus amicis Iob vt illum acciperet intercessorem, quem diuersimode inter disputandum offenderant? *Iob seruus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia?* Ac orante pro illis Iob, cur queso dimisit? Quare omnis populus vadit ad Samuelem, rogans ne cesset orare pro illis Dominum, vt ex vnguibus hostium eriperentur. *Ne cesses pro nobis lamare ad Dominum Deum nostrum, vt saluet nos de manu Philistinorum.* Quare rogat Moysen Pharao post singulas plagas, vt pro se Deum oret, vt amoueat flagella, promittens libertatem populo? Quare Saul non expleto Domini mandato, de delendo ad interuersionem Amalec, cum ex Samuele intellexit ideo se reprobatum, seque ac posteros regno priuandos dixit Propheta: *Nunc porta quaso peccatum meum, & reuertere mecum vt adorem Dominum.* Quare seniores Bethuliae, Regiae isti ac Heroinae feminae Iudith dicunt: *ora pro nobis, mulier enim sancta es?* Quare in captiuitate Babylonis viuente adhuc Ieremia Propheta, qui reliqui erant in terra Iuda rogabant, vt misericordia motus intercederet ad Dominum, pro reliquiis Israel.

Ierem. 10. Cadat in conspectu tuo oratio nostra, & ora pro nobis ad Dominum Deum tuum, pro vniuersis reliquiis istis, &c. quod & fecit.

Quare toties S. Paulus, qui vobis non minus quam nobis in ore est, toties ac tam instanter exigit preces Christianorum, tam Romanorum quam Colossensium, & Thessalonicensium? Quare suadet Sanctus Iacobus *Orate pro inuicem vt saluemini?* Cur magnus ille S. Antonius, ab omnibus obuiis sacerdotibus captabat benedictionem? Quare in omni genere instituti sunt sacerdotes, quare & Vestales, nisi vt qualibet suum deprecarentur Iouem, Deosque minores pro populo, pro Regibus, pro incolumitate Reipublicae, ac iuxta magnorum sententiam, pro statu Imperij Romani? Quare adhuc turmatim ad Martyrum ergastula curritur, vt ibi deuotissime ipsis comendemur? *Apost. & Mart. adhuc in cor-*

Iob. 42.

1. Reg. 7.
Exod. 8. 9.
10.

1. Reg. 15.

Iudith. 8.

Iacob. 5.

in cor-

D. Hieron. in corpore constituti possunt orare pro ceteris, dicit S. Hieron. ep. ad Ripar.

ronymus. Si seniores Iudæorum aliquid apud Christum valuerunt, ut sanitatē reciperet æger Cenvionis seruuus? Quare minus valebunt in paradiso Sancti pro peccatoribus implorati? Deū profecto, charissimi, parum, parum inquam habemus ciuilem, atque humanum, si quod terreni Reges in gratiam familiarium suorum faciunt, qui aulæ ipsorum sectantur, quando intercedunt ac postulat aliquid pro aliis, tantumdem Sanctis ac virtute abundantibus in cælo deneger? Si decernasse pro temporalibus aliquid inter homines pollet, certe pro cælo desudasse apud piissimum Deum plus polleere debet. Non sane, non adeo inhumanus est Deus, ut nihil Sanctis suis permittat. *Voluntatem timentium se faciet*, inquit Propheta, & *deprecationem eorum exaudiet*. Plus & multo plus possunt cælestis Curiaē sectatores. Quia in terra adeo ipsi seruire fideliter, sanctam eius faciendō voluntatem, abnegantes suam; facit iam rursus ipsorum voluntatem Deus in recompensam.

Psal. 144.

Verum est, inquit, ac libenter admittimus viuos implorari ac deprecari pro peccatoribus, multumque Prodigio conferre: sed de Sanctis hinc euocatis negat aduersarij. Hoc idem est quod negauit Vigilantius, quodque in Commentariis super Isaiam Oecolampadius, sed Dormitantius ille potius in hoc quam Vigilantius, nec illuminatus satis, aut Dei domum illuminans Oecolampadius, infelices vterque veritatis doctores. Videamus num ipsis scripturæ contradicant, nobisque consentiant. Nonne dicit Scriptura quod Iacob vicinus morti, benedictionem dedit filio suo Iosepho, adiiciens post alia: *Inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac*. Desiderabat igitur suam post mortem maiorumque suorum iam defunctorum nomen inuocari, quorum corpora quidem dormierant, animæ vero semper coram Deo viuebant.

Gen. 48.

Quoties Moyses, & qui ipsum sequebantur prohi, Deum placare aut exorare aliquid voluerunt, suis dis-

si meritis, semper trium illorum Patriarcharum Abraham, Isaac, Iacob, qui amicissimi acceptissimique Deo erant, allegabant nomina, nonnunquam etiam nomen David, vt in Psalmo trigesimo primo: *Memento Domine David, & omnis mansuetudinis eius. Et: Propter David seruum tuum non auertas faciem Christi tui.*

Israelitæ in Babylone capti, nonne orant exaudiri preces mortuorum suorum? imo & filiorum istorum qui peccauerant? Baruch 3. *Domine omnipotens Deus Israel, audi nunc orationem mortuorum Israel, & filiorum istorum qui peccauerunt ante te.*

Et Machabæorum libri, nonne docent post mortem Oniam Iudæ Machabæo apparuisse, cum altero quem ipsi digito demonstrabat, dicens, 2. Machab. 15. *Hic est fratrum amator, & populi Israel. Hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate, Ieremias Propheta Domini?*

Ac citans eundem locum Eusebius Casarensis, concludit inde rationi consentaneum esse, honorari à Christianis Sanctos, tanquam Deo intimos, ac inuocari, vt pote quorum gratia plurima nobis præstentur beneficia diuinitus.

Et quid David voluit, dicens: *Particeps ego sum omnium timentium eum: omnium, omnium*: tam mortuorum quam viuentium.

Et quid sibi volunt ista verba? *Pro hac orabit ad te o. 2. Pet. 1. Omnis Sanctus in tempore opportuno.* Omnis Sanctus, inquit, vtique tam in corpore quam extra constitutus.

Quid deniq; S. Petrus, promittens post vitam crebro meminisse eorum? *dabo autem operam & frequenter habere vos post obitum meum.*

Taceo Conciliorum auctoritatem, omnium Patrum consensum, tam Græcorum quam Latinorum, qui non tantum verbis & scriptis, sed factis etiam, & exemplis quæ docemus asseruerunt: adeo vt vix appetire ac libros ipsos inspicere contingat, quin confestim illa incurrant in oculos. Sufficiet mihi hoc loco vnam attulisse ex S. Hieronymo sententiam, perspicuam plane ac irrefragabilem.

Gg D.Hie-

*Vide Euseb.
li. 12. de praepar. Euang.
cap. 1. & lib. 13. cap. 7.
Psal. 118.*

D. Hieron. lib. aduersus Vigilant.] *Dicis in libello tuo quod dum viuimus mutuo orare possumus, postquam autem mortui fuerimus nullus sit pro alio exaudienda oratio, praesertim cum Martyres ultionem sui sanguinis obsecrantes impetrare nequiuerunt. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quid a se adhuc debet esse solliciti, quanto magis post victorias coronas, & triumphos? Vnde unus homo Moyses sexcentis milibus armatorum impetrat à Deo veniam. Et Stephanus persecutor Domini sui, & primus Martyr in Christo, persecutoribus veniam deprecatur. Et postquam cum Domino esse ceperint minus ualebunt? Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex, sibi dicit in nauis animas condonatas: Et postquam resolutus esse ceperit cum Christo tunc ora clausurus est: Et pro iis qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt mutare non poterit: meliorque erit Vigilantius carnis uiuentis quam ille leo mortuus? Recte hoc de Ecclesiaste proponeret si Paulum in spiritu mortuum confiterer.*

Exod. 32.

Act. 7.

Act. 27.

Eccles. 9.

Pulchra ac neruosa S. Parris sententia, quae pro exemplo seruiat. Et S. Petrus, nonne ad S. Agatham mammillam eius curaturus uenit in carcerem? & orans S. Agatham B. Lucia, nonne responsum accepit, quid a me petis quod ipsa poteris praestare continuo martirium, post exantlatum iam martyrium?

Nec Romana solum eam fidem tenet Ecclesia, sed antiqua etiam, ut supra demonstrauimus, synagoga, ut nullus iam relinquatur obiectionibus locus.

Scribit Rabbi Salomon Iacobum iecirco noluisse uxorem suam sanctissimam foeminam Rachel, sepeliri in Hebron, sed in Bethleem, ut oraret pro posteris, cum Nabuchodonosor direpta Ierosolyma transmi-

S. Ephraem graret eo in Babylonem: quod & fecit, *plorans filios de laudibus suos*, quod nihil aliud est, quam pro iis interpellans. *Ioseph.*

Ac S. Ephraem ait Iosephum Madianitis uedictum, *Ioseph. lib. 2.* cum ad maternum sepulchrum peruenisset, S. sc. *Rachelis*, plorasse largiter, ac impensè, fauorem auxilia- *que eius inibi deprecatur, quae & sensit.* *Iosephus ma-* *gnus* illerum Iudaicarum scriptor, & ipse Iudaeus, *alique nonnulli, ex 4. Reg. c. 2. & 2. Paralip. c. 21. dedu-*

cunt

cunt manifeste, quod septimo postquam raptus est in
 cælum anno, literas miserit Helias ad Ioram, quibus
 eum acerrime redarguit, quod societate cum infideli-
 bus inierit Israelitis, ac ipsi regnoque proximo impen-
 dentem ab irato Deo denunciatur ruinam. Imo & hodie
 dum mortuorum suorum corpora Iudæi condunt,
 Angelos paradisi custodes, & Abraham, Isaac, Iacob,
 Saram, aliosque inuocant, quorum sepulta sunt cor-
 pora in cauerna duplici Hebron, ut videlicet subue-
 niant defunctis ipsorum, ac paradysum aduenientibus
 pandant. *Angeli pacis exite, inquit, occurrere, aperite
 portas paradisi. Patres qui dormitis in Hebron aperite illi
 portas horti Eden, &c.*

Sed quibus quæso inducti rationibus? fortissimis
 sane ac prægnantissimis. Primo. Quia certum est ho-
 minem eundem, sanctum, post mortem multo me-
 liorem, Deoque acceptiorem esse, quam dum adhuc
 viueret.

Si ergo Sancti in carne constituti, cum minus apud
 Deum gratia & familiaritate pollerent, minusque es-
 sent perfecti hoc potuerunt, multo sane plus ipsorum
 valebit gratia, quando soluti corpore, purgatiore, ar-
 dentius & constantius Deum amantes, plura vicissim
 ab ipso bona quam in hoc mundo recipiunt. *Secundo.*
 Quia maior ipsis proximorum charitas est modo, quã
 antea. In patria enim ac in paradiso perfecta est & cõ-
 summata, in via autem initiũ eius nõdum perfectũ. Hic
 homines erant humano quodã modo proximos dili-
 gẽtes, ibi Seraphim sunt; hic vernus quasi caritatis te-
 por est, ibi dierũ caniculariũ ardor. Certũque est quo-
 quis alterum magis diligit, tãto magis amici miseris
 tangitur, fortiusque, ut inde extrahatur allaborat, si er-
 go dum frigus adhuc circumstabat vicinum, pro suis
 orauerint, cũ tota iam æstas exæstuat, putatur facturi
 minus? *Tertio.* Quia dupliciter, aut tripliciter nobis
 sunt obligati. *Primo.* Tanquã eiusdem corporis com-
 membris, per Sãctorum communionem quã in sym-
 bolo nostro credimus. Sicut enim ciuis ciuem, frater
 fratrem, inuare tenetur, ac patiente læsoque membro

vno compatiuntur reliqua: sic & Sancti in paradiso mihi debent opitulari, quia non minus quam ipsi ciuitatis Dei ciuis sum, Christi membrum; etsi non æque bonum, membrum tamen.

Secundo. Quia in paradiso Sancti etiam sunt, qui multis illuc annis nondum peruenissent, nisi adiui Ecclesiæ militantis precibus.

Hosimentum ergo faciendum est, ut nimirum, maxime cum in triumphante Ecclesia facultates copiosè suppetant, reddant par pari. Si militas Ecclesia promouit ad triumphatam eos qui erant in Purgatorio, cur minus iuuabit triumphans militantem, ut oblecta victoria ad eundem cum ipsa triumphum educatur? *Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel*, dicebat Saul parta de Ammonitis victoria. Contra magna fuit Pincernæ Pharaonis ingratitude, qui Iosephi, à quo redemptionis prædictione in carcere fuerat consolatus, postquam inde exierat obliuiscabatur. Eadem Sanctorum esset inhumanitas, si in gaudiis constituti eorum non recordarentur, quorum in pœnis experti sint solatia. *Tertia Ratio. Ex decoro.*

Æquum ac conueniens utique est, ut qui emerunt ex fluctibus, ac vias decurrerunt periculosas, cum in portu steterint, aliosque viderint nauem ascendere soluturos, aut iisdem afflictiari scopulis, consilio saltem ac adhortationibus, & quæ tempora ferunt succurrant mediis, ut periculum idem euadant, ac communem gratiæ & salutis portum teneant. Certe qui iam sui superarunt pericula, nostra non despiciunt naufragia. *Sancti enim de salute sua securi, de nostra solliciti sunt*, inquit Cyprian.

Cypr. serm. de mortalitate.

Cic. lib. 3. de finibus.

Omnino enim decorum est, ut infirmiores a fortioribus, quos aliqua ratione contingunt, adiuuentur. *Nam & tauris*, inquit Cicero, *natura datum est, ut pro vitulis contra leones summa vi impetug, contendant: sic ij qui valent opibus, atque id facere possunt, ad seruandum genus humanum natura incitantur.*

* *Quarto. Quia Saluator noster in futuro seculo dicet,*

cet, homines Angelis futuros similes. Sed quis ignorat quod Angelis suis mandavit Deus de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis? Quod pro nobis orent Angeli, quod preces nostras Deo offerant, faciantque acceptiores. Negari non potest S. Ioannem vidisse in Apocalypsi quatuor animalia, & viginquatuor Seniores, prosterentes se ante Agnum, habentes citaras & phylalas suas, plenas odorum, quæ sunt orationes Sanctorum.

Psal. 90.

Apoc. 5.

Quod idè alias Angelum viderit ascendente ab Altari, habentem thuribulum aureum, cui data sunt incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum super Altari aureo, quod est ante thronum Dei. Et inde ascendit fumus incensi, orationes Sanctorum, in conspectu Dei, de manu Angeli. Si negari non potest Angelum bona Tobia opera, cum sepeliret mortuos, proinde & preces eius præsentasse Domino.

Apoc. 8.

Tob. 12. vox est Angeli.] Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos, ego obtuli orationem tuam Domino. Optime sequitur, quod beati auxiliis viuorum interdant.

Negari denique non potest Sanctos melioris conditionis esse quam damnatos: negare enim illis infinito maiorem esse gratiam, quam perditis illis hominibus est cælum terræ, paradysum inferno miscere, & omnia in antiquum chaos refundere.

Dominus autem noster retulit alias diuitis animam, iacentem in flammis, ac voluptates suas, & erga Lazarum immisericordiam male luentem, orasse ex inferno Abraham, pro fratribus suis adhuc superstibus, ut admonerentur cauere sibi eius exemplo, ne simili supplicio aliquando inuoluerentur.

Luca 16.

Faciunt igitur Sancti in paradiso tantundem, tam in genere quam speciatim etiam pro suis. Quid? in ipsis Paganorum scriptis, quoties Iuno introducitur Iouem orans pro Carthagine, Venus pro Troia, pro Ænea, pro Romanis, pro suo Iulio Cæsare? Omnia plena istis.

Vide Ouid. 15. Metam. in fine.

Ecce tibi meas rationes, easdem autem & Ecclesia, quibus adstruo intercessionem Sanctorum. Et nihil vel ex ipsorum vel ex nostra parte, est quod nos de ut Prodigum deterreat? non quod ipsos aliquando offenderimus: (non enim mortui sunt nisi omnia inimicis suis condonarent) & sic cum orant Martyres *Domine sanguinem nostrum qui effusus est*, non solum gellari orant persecutores suos, quam conuerti, & corpora sua resuscitari: & si uiuētes adhuc inter tormentorum pro tortoribus suis orarunt, proculdubio id iam magis facient amplius. Non aliqua ipsorum prohibentia (nostra enim gloria ipsorum beatitudinem minuet sed augebit:) non suspicio infidelitatis ac diffidentia: (nam apud ipsos omnis sinceritas: non quod sibi in aliquo timeant: (Dei enim opes utendo non extenuantur ut Regum; & Sancti impetrantes aliqui vni, viam non occludunt alteri:) non indignatio quam formident, orantes pro imminentibus: (confirmati enim sunt in gratia, nec vnquam possunt excidere deus diffidentia diligentia ac sedulitatis ipsorum: nullum enim aliam habent curam quam ut pro nobis in terra sua gloria orent) non quod sperare possimus nos ipsos melius causam nostram acturos, (melius enim norunt qua ratione Dei misericordia obtineatur quam illis mortalium.) Ad Sanctos igitur, ad Sanctos dilectissimi Catholici, ad Sanctos in necessitate & precibus

Apo. 6.

III.

Quae argumenta in contrarium fieri possint, & quomodo soluenda.

Aduersarij igitur ut populo facilius imponant, ita inuasas, ita inuerrisimiles, ut nihil aequae. Audite ea obsecro, & prima, non dubito, fronte auerlabimini. Puto quod & ipsi intus & in corde eas reiciant: faxit Deus ut publice tandem detestentur.

Dicunt igitur primo. Sanctos nostras preces ac necessita-

cessitates ignorare; ac ideo frustra eos inuocari. *Quis Calvin. lib. nobis reuelauit (inquit infœlix Calvinus) tam longas 3. Inst. cap. Sanctis esse aures, ut ad nostra verba dependeant? tam 20. §. 24. illos acutum videre, ut nostras necessitates inspiciant?*

Timet bonus vir ne Sanctos nostros ut Midas pingamus auritos, aut oculos vndique tanquam Argos: adeo in Sanctos religiosus est, adeo formidat in Ecclesia imagines aliquas tolerare ridiculas: male enim nugatur in re tam seria.

Respondeo. Nos nihil incōueniens tribuere Sanctis, nec Midæ auriculas, nec Argi oculos, nec visum Lyncei, ut ex tam lōginquo corporales nostras necessitates videant, Negamus enim ipsis vsque ad corporum resurrectionē corporeas aures, & oculos, spiritus modo sunt, & excorpores, excepto Domino nostro Iesu Christo, B. Virgine, & verisimiliter illis qui cū Christo resurrexerunt, & ascenderūt in cœlum. Dicimus tamē spiritus illos audire nostras preces, videre necessitates, sed Angelico modo; quando sc. intellectus ipsorū comprehendit, cognoscit, cogitat nostras miseras ac inuocaciones. Possunt autem illas intelligere diuersis modis. Primo. Angelorū euntium & redeuntium perpetuis internunciis, qui ascendunt & descēdunt per scalam Iacob, versantes inter nos, & reuertentes in cœlū, ut ibi nostra Deo exhibeant, ac mādara ipsius ad nos perferant, quid sc. fieri quid non fieri velit. Ut ego hic in vestra Namurcensi præfens ciuitate, pedem non mouens, possum pleraque scire quæ Montibus, in vrbe nostra geruntur, aut consistens in Burgundia, quid per bonam partem Galliæ accidat, per tabellarios, veredarios, internuncios, transeuntes, &c. Sic & Sancti, ciues cœli, facile quid hic infra agatur cognoscere possunt, ex Angelis, qui ut perpetui cursores vltro citroque comitant. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & Psal. 103. ministros tuos ignem vrantem.*

Quid? Quare nō credamus narrare Angelos Sāctis, qui ipsis in cœlo ut supplementa permisti sunt legionū ac cohortium, quid hic apud nos geratur, cum toties annunciant & annuncient nobis, quæ aguntur in

*Gen. 18.**Daniel. 9.*

cœlis. Nonne cœli cursor ac veredarius fuit Angelus, qui per transitum indicavit Abrahamæ quid in Trinitatis arcano consilio esset constitutum, de excidio Sodomæ, de generatione Isaac filij sui, de posteris eius, quæque ipsis essent euentura? Nonne nuncij fuerunt cœli, qui dixerunt Isaia Messiam ex Virgine nasciturum, Danieli tempus reuelarunt natiuitatis, ac ipsi Virgini Reginae cœli electionem in matrem?

Imo vero, dilectissimi, semper deuoti illi peregrini in medio nostrum sunt, ac agunt, spectatores calamitatis, auditores gemituum nostrorum & precum, testes lacrymarum oculati, auriti suspiriorum, redeuntes in cœlum, & fungentes legatione sua, referunt amicis & conciuius suis nostram hic indigentiam, ac miseriam, vt pro nobis quod possunt, fideliter apud Deum intercedant. Singulariter vero Angeli qui ad custodiam nostri destinati sunt, vt nos in manibus suis portent, ne offendamus, vt maiores filij fratru-

D. Amb. lib. de viduit. & ser. 77.

los suos minores. *Angeli Martyres, isti sunt nostri presules, & speculatores vita, actuumque,* inquit S. Ambrosius.

D. August. lib. de cura pro mort. ca. 15.

Secundo. Ex relatione tot millium animarum, que quotidie in cœlum euolant, traiecto huius mundi tempestuoso ac procelloso mari, inquit Augustinus. Dubitandum enim non est, quin sicut Angeli inter se familiaria sua habent colloquia, alterq; alterum illuminat ac instruit, sic & beatas animas inter se conferre de Dei gloria, de sua, de nostra salute, de similibus negotiis: non quidem vocaliter sicut nos, sed inexplicabili quodam modo suas sibi mutuo cogitationes manifestantes, ac voluntates. Nunquamne legistis quomodo in monte Thabor Moyses & Elias apparuerint tribus discipulis, loquentes cum Iesu mysteria passionis, in die transfigurationis? Non legistis colloquium Abrahamæ cum diuite Epulone? Anima igitur hinc recedentes ac sanctæ, sanctos certiores faciunt de iis quæ circa nos sunt, de votis, lachrymis, precibusque nostris.

Matth. 17.

Potest etiam notitia hæc ab ipsorum subtilitate pro-

proficisci, tum quia semper gratia illustrantur, tum quia curis multis rerum temporalium ibi non distrahuntur, nec grauantur ac obsidentur diutius lutea terreaque hac corporis massa, subditi inedia, siti, somno, morti; ac proinde alacerrimi sunt, vt nihil cogitent nisi Dei gloriam, proximorum salutem, vt bene argumententur ac augurentur futura ex presentibus & praeteritis, ac omnia clare peruideant.

Insuper: dicunt aliqui quod praesentissimam eorum habeant memoriam, quae in vita vnquam expertisunt, siue desiderabilia ea sint, siue detestabilia.

Omnia haec bona. Sed ecce potissimum medium quo Sancti miseras ac preces nostras ediscant, hoc est, quod videntes clare Deum, facie ad faciem, tanquam in nitidissimo tersissimoque speculo, videant omnia nostra, quantum scilicet ad beatitudinis ipsorum consummationem conferunt. Sic diuersis locis S. Augustinus, & post, & ante illum alij Ecclesiae doctores complures.

D. Aug. lib. 9. ciuit. cap. 22.] *Angeli boni (itaque & Sancti & beati) certius etiam temporalia & mutabilia ista nouerunt, quia eorum principales causas in Dei verbo conspiciunt, per quod factus est mundus, quibus causis quaedam probantur, quadam reprobantur, cum ordinantur.*

D. Dionys. Areopag. lib. de caelest. Hierarch.] *Quid est quod Sancti in caelis non videant, in quo perfecta rerum omnium idea conspiciuntur?*

D. Greg. lib. 12. moral. c. 13.] *Quia sancta anima intus omnipotentis Dei claritatem vident, nullo modo credentium est, quia foris sit aliquid quod ignorent.*

Idem lib. 4. Dial. cap. 33.] *Quia omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant ubi scient omnia sciunt? Quidni? Si enim Prophetae videre obtulerunt absentia, intelligere non existentia, prauiere futura, quamuis graui hoc corpore carcerati, mortalitatis veste amicti, quia nimirum in illis habitabat Deus? Quid absurdum videretur si Sancti in caelo corporis hac mole exsoluti, & obstaculis exuti, nostras necessitates precesque intelligant, cum Deus ibi*

D. Aug. in Psal. 108. li. de cura pro mort. ca. 15. §. 16.

4. Reg. 5.

Actor. 5.

fit omnia in ipsis? Quod Prophetæ absentia viderint, clarū est in Propheta Elizeo, q̄ lōgissime distās quid Rex Syriæ in conclavi ac secreto cōcluderet per callebat, ac famuli sui Giezi videbat avaritiā ac simoniam.

Videmus in S. Petro, quod Ananiæ & Sapphiræ de pretio agri fraudatā partē non ignorauerit. Itaias tot centenis annis præuidit Christum in v̄ leprosum in passione sua deformandam, quod non nisi multo post ipsum tēpore impletū est. Moyses duobus fere annis millibus post creationem refert Dei in opere ipso, & cū Adamo, ac Eua habita colloquia: dialogū serpens & Eux, opera Abelis, Enos, Noe, Abrahamā, adeo accurate, adeo particulatim, adeo certō, quasi omnium oculatus & auritus esset testis, ac omnib. ipse interfuit. D. Aug. l. 20. ciuit. c. 22.] *Si hac Prophetia necdum facta nosse potuerunt, per hoc, quod erat Deus, quantumcunque erat, in eorum mortalium mentibus: quomodo immortales Sancti, iam facta tunc nescient, cum Deus erit omnia in omnibus.* Qui in nouissimo die in vno actu oculi, omnia simul omnibus manifestabit, peccata omnia quæ fuerunt, sunt, & erūt vnquam, vt videamus æquitatem iudicij eius; sufficiens non est modicum quid miseriarū & precum nostrarum Sanctis exhibere.

Quid ipsi etiam pagani beatos suos post mortem omnia videre arbitrati sunt. Cic. in somnio Scipionis, nonne introducit seniolem Scipionem, agnominatū Africanum, despiciētem ex sublimi stellatoque loco, pulcro & nitēti totum terrę globum, & maxime tūphalem Romam, victamq; Carthaginem? Vt naphtha igni accenso & flammanti admota statim etiam accenditur, & flammatur, sic animæ nostræ accedentes ad Deū, omnia videntē, statim diuinæ ac omniscienti fiūt.

Imo vero (inquiunt) Sancti si in paradiso essent, viderēt omnia; sed non sunt illic, nescio vbi salicem illam horam expectantes vsque ad extremū iudicij diē:

Vide nostrū orbis terrorē de iudicio particulari. nam tum primum (tollunt enim homines illi particulare post mortem cuiusque iudicium) cuique locus ac gradus pro merito suo assignabitur. Ah miseri homines, qui ita errorem errori inædificant.

cant, mendacium fulcientes mēdacio. Sunt, ô miseri, sunt in paradiso, habitātque in cœlo iam animæ ipsorum, vident ibi Deū (infœlices) vident Deum: nisi impudenter omnium Ecclesię Doctorum auctoritatem inficiari velitis, qui hoc docēt: & vos in Christum Iesum aliquam accersere iniustitiam.

D. Aug. tract. in Euang. Ioan.] *Requiem, quæ continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisq; cum moritur.*

Iustinus Martyr. q. 75. à Gentibus posita.] *Post animi à corpore excessum statim fit bonorum malorumque distinctio. Ducuntur enim ad ea loca quæ eis digna sunt, ab Angelis, bonorum quidem animi in paradysum, ubi consuetudo est & affectus Angelorum & Archangelorum, visio etiam conseruatoris Christi.*

D. Batil. lib. de spiritu San. ad Amphilochem.] *An non extremi stuporis est, Sãctos fateri cum Christo non esse.*
Plato in suo Phædone nobiscum sentit, Cicero & omnes qui recte sunt philosophati, Herculem, Romulum, &c. in cœlo collocant, quamprimum à corpore exeunt, quia hic bene vixerunt.

Scipio Africanus apud Cic. in somnio Scipionis] *Ea vita (proba scilicet) via est in cœlum, & in hunc cœtum eorum qui iam vixerunt & corpore laxati illum incolunt locum, quem vides, (erat autem is splēdidissimo colore inter flammâs elucens circulus) quem vos, ut à Graijs accepistis, orbem lacteum nuncupatis, ex quo omnia mihi contemplantur &c.*

Cic. parad. 11.] *Quibus tandem gradibus Romulus ascendit in cœlum? hinc quæ isti bona appellant? an rebuegestus atq; virtutibus?*

Ouid. lib. 5. Metamorph. Vox Iouis ad Venerem de anima cæsi Iulij Cæsaris.

*Hanc animam interea caso de corpore raptam,
Fac iubar, ut semper Capitolia nostra, forumq;
Diuus ab excelsa prospectet Iulius ade.*

Senec. in Hercule Octavo Act. 5. Vox Herculis ad Alcmenam matrem.

*Iam parce mater questibus: manes semel,
Vmbra q;*

*Vmbraſq; vidi: quidquid in nobis tui
Mortale fuerat, ignis iniectus tulit:*

Paterna cælo pars data eſt: flammis tua.

Quis non Poëtarum, ſic in Epitaphiis bonorum,
vt ego nuper in Germani mei Nicolai?

Oſſa Neomagum; mentem Æther; cetera Monte

Accipiunt, Batauo carcere dum morior.

Omnes Poëta bonorum animas cælo locamus.

Quid? Noſtri Sancti iam non ſint in paradifo? Ne
iam ergo morientes melioris conditionis ſunt, quam
olim ſub lege Moyſis Iudei, ante mortem illam Chri-
ſti vitalem? nihil igitur per eam nobis acceſſit.

Regnabūt igitur plures in cælo mortui ſub Moyſe,
quā Chriſtiani mortui ſub Chriſto. Certi ſumus plu-
res ſub Moyſe mortuos, reſuscitados in reſurrectio-
ne Chriſti. *Multa corpora Sanctorum ſurrexerunt.* Et pi-
credimus illos cum Chriſto in cælum aſcendiſſe,
cum Patribus illuc vſque in Limbo detentis, ad deco-
rem triumpho, & in ſignum efficacis paſſionis & re-
ſurrectionis Dominicæ: *Aſcendens Chriſtus in altum
captiuam duxit captiuitatem.* Et Sanctos ſub Chriſto
mortuos, anima ſaltem in cælis eſſe negabimus? Et
iam ſi non credantur corpore cum illo aſcendiſſe in
cælum, excepta B. Virgine, quamuis & de ea non mi-
li dubitarint: ſaltem quoad animas Sanctos ibi eſſe
nunquam dubitandum.

Quæ apparentia, ſœliciores facere illos, qui ſub le-
ge ſeruitutis vixerint, quam eos qui ſub lege gratiæ, &
libertatis? quod illi faciunt qui Sanctos noſtros ne-
gant adhuc videre faciem Domini. Cur tantopere
antiqui Patres deſideraſſent aduentum Chriſti, &
mortem eius, ſi ea nihil erant futuri meliores? Eſt
Deum iniquum facere, & ſuis contrarium legibus.
Maxima enim eſſet iniuſtitia, & in cælum clamans,
tot animarum millia, tot annorum ſeculis, ad corpo-
rum ſcilicet reſurrectionem vſque fraudare ſua mer-
cede.

Clamitat in cælum merces detent a laborum.

Aliud præcipiunt diuinæ leges, dari ſtatim merce-
dem.

tem. *Non morabitur apud te merces operarij tui usq; ma-* *Leuit. 19:*
 Est Deum magis fingere seuerum quam misericor-
 lem: nihil tamē æque clamamus, quā Deum vt mi-
 em Principem, pluribus gratiam facere quam iusti-
 tiam; paratum ad veniam, tardum ad pœnam.

Est piger ad pœnas Princeps, ad premia velox.

Est contra exemplum quod ipse nobis proposuit
 Christus in vineæ parabola, de sua ad solutionem
 promittitudine. *Vespere autem dixit Dominus vineæ pro-*
curatori suo: Voca operarios & redde illis mercedem
sua. *Matth. 20:*

Sunt igitur in cœlo & vident Deum, vident, co-
 gnoscunt in illo nostras miserias, nostras preces, &
 proinde non est vanum eos inuocare.

Sed infœlices homines, negant etiam ipsos nobis
 quicquā impetrare posse; qui nihil impetrant sibi.
 Quod sibi nihil impetrent probant, quia tot cente-
 nis annis clamant Martyres; *Vindica, vindica Domine*
sanguinem nostrum, qui effusus est, nec tamen adhuc
 vindicati sunt.

Talis olim fuit obiectio Vigilatiij, vt refert S. Hie-
 ronymus. Respondeo illos exauditos iuxta peritio-
 nem: vna enim vindicta quam petunt, conuersio est
 persecutorum, quæ iam diu mille locis completa Ie-
 rusalem, Romæ, &c. Sin autem pœnas illorum po-
 stulent, ita postulare intelligendi sunt, sicut, & quan-
 do placet Deo; propter maximam ipsorum & volun-
 tatis Dei per charitatem vnionem.

Dicunt etiam abstinere ipsos à negotiis, quibus
 dum viuèrent nunquam se miscuerunt: quasi ideo
 nobis nihil prodesse. Erasmus introducit Antonium
 quendam (forte dicens per alium quod per se non au-
 debat; si ira est, ô miserum Erasmus cum omni sua
 ientia! Sed vix credam de viro tam singulari, qui ex-
 ta iram non parum mihi videtur conscientiosus)
 licentem (post narrationem Adolphi sui, quomodo
 lauræ quidā vicini naufragio, cecinerint suum *salue*
Regina; appellantes Virginem matrem, *stellam maris,*
portum salutis) *quid illi cum mari, quæ nunquam opinor,*
nauis-

Ouid.

Matth. 20:

D. Hieron.
 adu. Vigi-
 lans.

Erasm. in col-
 lo. de nau-
 fragio.

*Idem colloq.
de peregrina-
tione reli-
gionis ergo.*

navigavit. Et in alio colloquio introducit B. Virginē, querulantem tot, tam variis, & impertinēribus sollicitari negotiis. *Itane ego, sola, & mulier, & virgo dabo operam, navigantibus, belligerantibus, negotiantibus, ludentibus aleam, nubentibus, parturientibus, satrapis, Regibus, agricolis? Atqui quod dixi minimum est praesens quae patior: quibus significare videtur frustra Sanctos quosdam invocari, parim quia in vita negotia ista non magis intellexerint, partim quod partes non sint tot si nul negotiis, partim (ut idem insinuat in navigo Erasmus) propter viam in caelo inter Deum & Sanctos distantiam. Quia spatiosum est caelum, si cui Divo commēdaro meam salustem, puta S. Petro, qui a proximo est prius quam ille conveniat Deum, prius quam exponat causam, ego iam periero.*

Tria igitur ex ipsorum sententia Sanctorū operationes impediūt, ignorantia, negotiorū multitudo, & distantia nimia. Respondeo ignorantia posse hic habere locum in Sanctis dum vivunt: non enim omnes medicinae periti sunt, sicut S. Lucas, & S. Cosmus & Damianus; aut iuris, ut S. Ivo; aut navigationis, ut S. Petrus; aut concionatoria, ut S. Paulus; aut militaria, ut S. Georgius, S. Mauritius, S. Sebastianus; translati vero in caelum, coniuncti Deo nihil ignorant; minimus in Paradiso Sanctus, magis omnium herbarum vires novit, quā aut Plinius aut Dioscorides; melius calle medicinae quam Hyppocrates, aut Galenus; imo melius quam Aesculapius, vel Apollo. Minima in caelo muliercula melius novit omnes belli artes, quā illa unquā Penthesilea, aut Amazon, imo quā Alexander, & Mars ipse, & sic de ceteris. Idque ideo quia vident, quia legūt, omnia in magna Dei Vaticana bibliotheca, & Deum habent doctorem in omni seibili. Si quis ergo à Deipara virgine in mari petit auxilium, non timendum ipsam nihil intelligere, quia ibi nunquam forte fuerit; si à S. Sebastiano qui forte concionatus est nunquam, gratiam in cōcione; non opinandū est nihil inde subsequi: aut si à S. Paulo, qui medicus non erat, ut morbos curet; quod (ut ipsis videtur) rogandas solus

solus esset S. Cosmas aut Damianus: non desperandum remedium ob ipsius in tali arte ignorantiam. Quia ignorantia illa in profundam diuinę scientię immerita, in Deo facti sunt omniscij, non qui ex omnibus sciunt aliquid, & latine dicuntur *scioli*: sed vera, reali, ac solida scientia. Si enim Sancti subuenire non possent mortalibus, nisi in negotiis quę ipsi hic in terris percalluerint, & tractarint: nulli modo essent Sancti, qui novos nostros morbos, quales ipsorum tempore nunquam fuerunt, intelligerent; & in paucis tantum pauci nobis essent inuocandi. Inuocandus esset in infirmitate Sanctus solum Cosmas, & Damianus, aut si quis alius medicinam in vita exercuit, aut similibus quibus nos subiucit morbis. In processibus nemo inuocandus præter S. Iuonem, & si quis alius istius classis in cęlo. Sic & in aliis. Non B. Virgo, non alij, qui in vita nihil sciuerunt opificij quam amare & seruire Deo. Videmus nihilominus & palpamus, qui nunquam medicam exercuerint, precibus morbos depellere; qui nauarę non fuerint vt S. Nicolaus, nauigantibus & periclitantibus in mari adesse; qui arma non tractarint, iuuare prælia; vt temporibus Alphonfi S. Iacobus in bello Hispanico, contra Saracenos & barbaros; qui in carcere nunquam fuerint, vt B. Virgo, relaxare catenas; qui peregrinati non fuerint, errantem in viam reducere; qui Codicem, Bartolũ, & Baldum non viderint, miserorum causas coram iudice tutari; & B. Virginem Mariam, quę omnia experta nõ sit, omnis generis mortalibus asylum esse, & commune refugium. *Multa filia congregauerunt diuitias, tu Prouerb. 31. supergressa es vniuersas.* Quę in vita parem non habuit in cęlo, in miraculorum operatione non habet secundum. Illa Bethsabee, cui Salomon suus promisit nihil negare.

Alij particulas quasdam, & micæ diuinę gratię, & guttas misericordię super nos distillant: sed Deipara virgo, diducit copiam & flumina. Sacerdotes illi supplicant in casula, Reges in purpura, diuites in pompa, pauperes in cętone, capti in catenis, liberi in prospe-

prosperitatibus, omnis status, omnis sexus, omnis aetas eam non frustra implorat: totus mundus testatur, Patres nostri, nos, nostra posteritas, plena sunt scripta Catholicorum. Videatur tantum Lipsius amicus meus in Aspri-colle in Diua Halleñsi: videatur pater Ioannes Bonifacius, societatis Iesu de miraculis Dominae Montis ferrati, cuius pridem Lugduni, dedicatus Henrico Quarto Regi Galliae & Navarrae, & similes. Parietes Ecclesiae, sacella, beneficiorum ipsius onerata monumentis idem declarant: permitto ut aduersarij nostri dicant quod volunt, si vnquam B. Virgo deuote inuocata ipsis defuerit.

Ignorantia igitur aut inexperientia rerum huius vitae, quae hic in Sanctis esse potuit, nihil obstat quominus omnis generis auxilia ab ipsis speremus illa enim iam mutato statu, in omni scientiam transtulit.

Imo vero, quando inuocamus Sanctum non rogamus ut naturali via & arte, sed ut supernaturali & miraculose nos iuuet. Quando inuoco S. Nicolaum in naufragio, non rogo ut veniat, clatum teneat, rudentes ac vela laxet, aut sicut Typhis aliquis, verfarusque Nauclerus admoueat manus: sed ut superata natura, & arte, ac humanis viribus, ipse supernaturaliter iuuet & roget ut summam manum Deus immittat. Quando oro B. Virginem, ut inter milites, inter latrones saluum mihi faciat conductum, non volo ut arcum sumat, hastam vibret, arma moueat, ad defensionem meam, ad offensam & laesionem alterius, quae omnia humana natura & ars suppeditant, sed ut miraculose subueniat: quod ut fiat, nihil opus artes militares nosse, militem fuisse; & sic de ceteris necessitatibus, in quibus Sanctos inuocamus.

Imploro denique benevolentiam alicuius Sancti & potentiam Dei: non oro ut Sanctus propriis mihi subueniat viribus, & de suo ex propria pharetra, nihil mutuatus: sed oro ut apud Deum agat pro me, qui possit in hoc vel isto subuenire. Quando intercedimus autem, ut alius quis hoc aut istud agat, nihil necesse ut intercedens opus intelligat. Possum facile rogare

rogare aduocatum de Monte, amicum meum, ut
causam amici periclitatis suscipiat, etsi ego iura non
calleam, & constitutiones, magis quam linguam
Turcicam.

Quare miser Erasmus (sed non est Erasmus qui ista
effudit, arbitror homini isti plus fuisse mentis) graui-
ter hallucinatur, putans male inuocari B. Virginem à
naufrago, quia ipsa nunquam Maria nauigauit.

Quantum vero ad negotiorum multitudinem,
quam isti adferunt, ut, quod omnes quibus dētes do-
lent confugiant ad sanctam Apolloniam, classarij ad
S. Nicolaum, peste infecti ad S. Rochum, aut S. Seba-
stianum, milites ad S. Georgium, aut S. Mauritium,
Hispani ad S. Iacobum Compostellanum, laborantes
in puerperio ad S. Annam, aut S. Margareram, studio-
si Athenenses ad S. Nicolaum, alij ad S. Hieronymum,
alij ad S. Catharinam, alij ad S. Thomam Aquinatē,
ciues ad S. suum tutelarem, Parisienses ad S. Genouē-
uam, Montenses ad S. Waldrum, vos ad S. Aldegun-
dem, ac eiusdem regionis homines quique ad suum
patronum, & totus mundus ad B. Virginem, illa nos à
Sanctorum inuocatione impedire nihil debent, quasi
tot rebus implicati, omnibus vacare non possint ma-
gis quam artificiosissimus quidam pictor, aut Apel-
les simul depingere omnes vnius ciuitatis ciues, aut
Aduocatus quidam, etsi peritissimus, industria, fide,
diligentia, gratia pollens nihil petens, nihil accipiēs,
(sed quæso vbi talis Phœnix) ad quem totus concur-
reret mundus, nobiles, diuites, pauperes, ignobiles,
offerentes causas, orantes auxilia & tutelam, qui si
singulis seruire posset, non posset tamen omnibus:
hoc de Sanctis absolute negamus.

Id enim esset de Sanctis tanquam adhuc mortali-
bus loqui, non ut immortalibus iam, & beatis, in quo
statu vigorem quendam habent homines, & actiui-
tatem plus quam humanam, similem valde diuinæ,
ad expedienda ferme infinita negotia, sine tempore,
sine molestia. Quis dubitet? si enim erit lux luna sicut Isaiæ 30.
lux solis, & lux solis erit septemplex, sicut lux septem
dierum,

H h

*dierum, in die qua alligauerit Dominus vulnus populi sui,
& percussuram plagae eius sanauerit.*

Cur non credamus Sanctos in paradiso intellectu fore multo agiliori, acutiori, fortiori, omnibus facultatibus ipsorum duplicatis, & auctis: vt facile, integre, & comode expediât negotia quae ipsis comendantur.

Quid credimus ne Iulios Caesares fuisse Romae, qui diuersi argumenti epistolas quatuor simul dictarent? qui iuxta Plin. legere, dictare, audire simul possent? O homines maiores homine! Et non credimus caelum modo habere homines, adeo ingeniosos, adeo expeditiuos, vt pluribus in necessitatibus subuenire possint, quam nos in terra grauari crassa carneaque corporis massa? Credite, dilectissimi, vix manû quis veritat, dū in caelo geruntur quae in terra vix mille annis expediatur: tum ob Aduocatorum actiuitatem, tum ob viuaciam Iudicis, qui intelligit antequam os aperiant.

Psalm.] Antequam clament, ego exaudiam.

Intellectus noster dū hic in obscuris latemus vallibus mortalis vite, comparatione illius quae in lucidissima & beata possidebimus immortalitate, vespertilionis oculus est comparatus Aquilis; Tigridis curtus, volatus hirundinis, comparatus reptioni limacū; celeritas cudēdi pressorum, cum tarditate scibētium manu.

Vt enim vespertiones ad perspicaciā aquila: cegas affirmes, limaces dicas nō se mouere magis quam agrorum limites, si cōpares pernicitati Tigridis aut hirundinis, scriptorē nihil agere cōparatum operibus cudētium (impressor enim folia plura vno die procedet, quam expeditissimus in Gallia scriptor vno mēse scribet paginas) sic Sancti vno oculi ictu, intereedentes in caelo, plus expediunt operis quā nos mortales integro anno. Sicut etiam cristallina specula vna hora plures facies naturalius representabunt, quam penicilli Michaelis Angeli, aut Apellis etiam expeditissimi: sic Sancti in caelo vno momento plures Deo supplicationes exhibent, quam nos hic annis centum. Alius etiam ibi intimandi aliquid Iudici modus est. Hic enim aliud post aliud explicamus, & sic successione quadam

quadam vsque ad extremum, labitur interea non parum tēporis, & suspendūt aliquando causam patroni. In cœlo vero infinita causarū millia Deus simul intelligit, cōceptus, volūtates, desideria, sine tēporis decursu, Deus omnia simul videt in ipsis, vt nos ciuitatem vnā, aut orbem in tabula geographica, vt in claro speculo simul videmus repræsētari oculos, nares, aures, os, centū capillorū millia; vel vt signaculū Regis Hispaniæ, regnorū pluriū cōtinēs insignia, in molli cera omnia simul exhibet; vel vt typograph^o, formā habēs dispositā in qua simul xi. linguæ misceātur (vt in nouis Calepinis) facit vt obiecta charta vnica pressura omnes recipiat, magis etiā legibiles quā in ipso originali: sic mille intercessionēs diuersæ, in mille diuersis negotiis, quæ colligūtur in intellectu & volūtate Sāctorum, per supplicationes nostras quasi per cōpositionem, simul à Deo perfecte cognoscuntur in prima voluntate Sāctorū. Mortales Iudices modicū quid recipiūt, & quasi guttatim ex angustis vasculis: Deus vero Sāctorū volūtates simul intelligit, quasi profusum aperto labro vinū. Multitudo igitur negotiorū, & supplicantiū, prætexi iure non potest à reformatis, quo minus SS. inuocemus, desperata ideo negotiorū expeditione. Distantia vero quid? Nego etiā illā quicquā obesse: nam in medio est SS. nō lōge est ab vnoquoq; nostrum, in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, &c.

Act. 17.

Senec. lib. 5.

epist. 41.

Prope est à te Deus, tecum est, intus est, inquit Seneca.

Bona mens sine Deo nulla est, dicit alius.

Deo qui ubiq; est (inquit S. August.) neque per loca propinquamus, neq; ab illo per loca remouemur. Et hæc quidē dum adhuc in corpore mortales sumus; quāto magis cum erimus immortales in cœlo: si cœlum multo quam est amplius, nemo Sāctus socio suo à Deo est remotior: non S. Petrus, etiam si Erasmus ipsi stationem ad ianuam assignauerit, quia dicitur clauiger cœli. Sed vt Anaxagoras dicebat, vndiq; ad inferos tantundem est via.

Sic dico de Deo; tantū distat ab vno quā ab altero. Quod Sāctus vnus altero dicatur esse altior, ac Deo

vicinior: id principaliter est quia plus recipit gloria, gaudij: mensa ibi orbicularis est, non habet caput & caudam, quantum ad sedilia, sed quantum ad seruitia & mensuram gloriae, quae alia est in Virgine matre, alia in Magdalena peccatrice. Et quamuis S. Petro dictum sit: *tibi dabo claves regni caelorum*: Non ideo dictum est ut in caelo localiter fiat ostiarius; sed quia data est ipsi hic potestas intromittendi in Ecclesiam, per baptismum, per poenitentiam, per absolutionem & remissionem peccati, ac eadem via aperuit caelum, quod patet iustificatis.

Matth. 16.

Intromisit etiam in caelum: id est, in intellectum scripturarum, & mysteriorum Ecclesiae, legitima eorum expositione quae inspirabatur ipsi diuinitus; post mortem vero illo modo non amplius est ianitor, claves & potestas eius manserunt in terra, in manu Papae successoris, atque illae traditione deueniunt in posteros, vsque ad mundi finem. Vbi autem nihil clausum, quid opus ianitore qui portam aperiat? In paradiso autem, *porta non claudentur per diem*: non igitur impeditur ibi S. Petrus, non ideo a Deo longius adest, non est periculum ut quis in mari pereat antequam ipse ad Deum oratum vadat; nugae sunt, crassaque blasphemia.

Apoc. 21.

Et quid si S. Petrus ex officio assideret portae, non ideo abesset a Deo longius: quia Deus vbique est aequaliter: si vero in hac quam in illa caeli parte esset magis, locum certe ad ianuam throno suo statueret, & sic apud S. Petrum: impleturus legem suam, quae vult Iudices sedere in urbium portis. Non igitur nimia distantia, non actionum varietas, non ignorantia vlla, retardare nos debent ab inuocatione Sanctorum.

Imo dicere possent (miseri homines) hoc est turbare ipsorum quietem, non excitandi sunt qui tam suauius dormiunt, non sunt grauandi & onerandi nostris sarcinis, qui tam diu olim sudarunt sub suis: *Adiuuro vos filia Ierusalem, per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quoad ipsa velit.* Et

Cant. 2.

Et clamamus plenis buccis, *requiem eternam dona eis Domine: da ipsis quietem longiorem illa Simoni- dis, sine fine mansuram. Nasonis molliter ossa cubent. A- modo iam dicit Spiritus, ut requiescant à laboribus suis.* ApoC. 14.
 Et Christus in mysterio dicit Marthæ: *Maria optimam partem elegit (contemplationem Dei pacificam) qua non auferetur ab ea, hic in terris, multo minus in cælis:*

Virg. 3. Æneid.

*Quid miserum Ænea laceras: iam parce sepulto,
 Parce pias scelerare manes.*

Virg. 4. Æneid.

*Scilicet is superis labor est; ea cura quietos
 Sollicitat.*

Inuoca eos, suscita, tuis intrica negotiis, nihil a- Caluinus l. 3 Instit. cap. 20. §. 24.
 gent inquit Caluinus, *non rumpent quietem ut his illis se distrahant curis terrenis* Miser Caluine; hoc nimis est agere Epicureum, facere Sanctos quales olim Epicurus Deos, qui nihil curent, quos nec sua nec aliena tangunt.

Cicero de natura Deorum.] *Epicurus nihil curare Deos, nec sui, nec alieni, sed monogrammos & nihil agentes affirmat.*

Seruius in illud Virg. Æneid. 4. *Ea cura quietos sollicitat, sic ait.*] Cic. in lib. de natura Deorum. *triplicem ponit opinionem, non esse Deos: cuius author apud Athenas exustus est. Esse & nihil curare, ut Epicurei. Esse & curare, ut Stoici.*

Nimium hoc repugnat S. Cypriano: *de sua securi, de nostra sunt salute solliciti.* Nimium repugnat charitati. Quibus enim bene est, misereri debent infœlicium; qui liberati sunt, reminisci iacentis in carcere Iosephi; qui equo sedent, iuuare peditem. Nimium hoc repugnat Scripture, & rationi, ut diues epulo damnatus in tormentis de fratrum sit salute sollicitus, Sancti vero fratres in miseria negligant.

Ignoratne miser Caluinus sollicitudines quasdam & occupationes virtuosas, carere molestia? Prouidentia Diuina, turbaturne in suo sabbatho ac quiete, sudauitne in creatione? Angeli vltro citroque com-

Matth. 18.

Genes. 19.

Isaia 62.

Tob. 5.

Ioan. 5.

Genes. 8.

Genes. 2.

meantes in circuitu nostro, tāquam consiliarij & tutores, nocte & die stātes super muros Ierusalē, dantes signum quando est periculum, accendētes Sodomā, deducētes Tobiam, turbarunt ne quietē? Quid igitur SS. de nobis cura molesta est? Labores & occupationes plurimæ sunt, quæ authorē non fatigant sed recreant. Arbitramini Deū & Christū Iesum, cōseruationi mundi intentum, hęc sine oblectamēto, cū lassitudine hęcere? *Nā pater meus vsq; modo operatur & ego operor.* Et vos parētes curatis liberos sine voluptate? Passerculi, hirū dines, colūbæ, turtures, vicini nostri recti, abortu vsq; ad occasū captātes culices, muscas, & alia prædātes animalcula magnitudine sua digna, deferentes illa in nidum, modo huic modo illi pullo bonorū heredi, vidēturne vobis hac sollicitudine & cura fatigari & affligi? Voluptas quam capiunt ex cantillationibus agnoscitur, & querulationibus si spoliētur nido, si a diurno prohibeātur exercitio, si cogātur ad vacuū redire nidum, & oriū; quē iterū reedificāt, nouis implet ouis. Sol suas semitas nocte decurrit ac die, & radiosum corpus vt f. culā ab oriente in occidentē, a nobis ad Antipodas deportat: luna laternam suam singulis circumgirat noctibus. *Cunētis diebus terra sementis & messis, frigus & aestas, aestas & hyems, nox & dies nō requiescit.* Quādo venerint ad terminum, nunquid festi subsistunt? Ridens ac nugās dicit quidam, *solisq; labores, si labores pro fatione, nō pro ecclipsi aut cursu accipias.* Saltator quāuis subsiliat, tripudiet, ac lubricet orbem, queriturne de lassitudine, caretne voluptate? Venator vestigata fera, laxans canes, & ipse insequēs, vt Dedalus quis volare videatur, aut volantē equitare Pegasus, queriturne de lassitudine & molestia? Adā in innocētia operās terrā, in horto Eden, in paradiso voluptatis, (*posuit Deus Adā in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum.*) Fluere ne sudore, traheretne anhelitū, frāgeretne corpus, alienare: q; mētē a cogitationibus diuinis? Non vacaret opere, viveret tamen in indolentia, sine molestia; & non tantum sine dolore, sed etiam cum voluptate. Iucundū audire hac
de re

dere Barthā, Syrenē gallicā ita hac de re cantillantē.

G. Sal. Barrihas in suo Eden 1. die 2. hebdomadis.]
Terra Edem futura fertilis, in qua docta tantū poneret ho-
mo argumenta industria: quam exerceret pro suaui magis
exercitio, quam pro redditu annuo. Breuiter. Labor futurus
erat iucūdus, amœnum exercitium, molestia qualis fere sal-
tantium: quamuis enim tremulum is iactet corpus, agitet
membra, versetq; pedes, à mane in usque v. speram, sub noctē
tamen nouus incipit, et si ruptus prope, nunquam saltandi
satur. Qualis & venator vestigatus latibulis fera, bene cor-
nuto in campum ruente ceruo, solutos ad cursum instigat,
canes, clamoribus stimulat, celeratque gradum, non lassus
lassatum quadrupedem recenti mutans equo. Sed quia in
ipsorum letitia mixta vanitas, & sudor & fatigatio: com-
parabo melius Angelicis laboribus, quibus nullum unquā
otium; aut Solaribus, qui sine molestia noctes diesq; spatio-
sum decurrunt cœlum.

Quid? nōne homines inuenias, ita certis exercitiis *Cel. lib. 6.*
 deditos, vt si cessare iubeantur, nullum ipsis purgato- *Marcel. lib.*
 rium futurum sit grauius. Dicitur Turanius aliquādo 16.
 à Cæsaris procuratore atatis causa, cum iam nona-
 genarius esset, absolutus, composuisse se in lectum, ac
 planctū & nœnias indixisse familiæ, perinde ac si fuis-
 set mortuus: nec tranquillari potuit, nisi priori resti-
 tueretur curæ. Liceat mihi dicere sine iactantia vt ani-
 mum ad studia addam iunioribus. Dico sæpe inter
 meos, adeo mihi iucundum immorari & immori li-
 bris, quærere, telegere, scribere, componere, corri-
 gere,

In lecto, in foro, in mensa semper vt semper viuam, Bartas 1. die
Versans in discursibus, & natans in chartis. prima hebd.

Vt si (quod auertat Deus) aut in arctum carcerē, ac
 breues damnandus essem gyaras, cum libris & studij
 facultate; aut permitterer mihi liber, agens, vadēs ad
 arbitrium, prohibitus tantū à libris & studiis: præli-
 gerem carcerem cum studio, quam sine libris liber-
 tatem, nisi carcer tamen adferret mihi ignominiam.
 Quī me vt Sículus Tyrannus, aut Phalaris torque- *Sophocles.*
 re vult, subtrahat tantum libros, & arceat à studiis.

Mihi otium sine litteris mors fuerit, & viui hominis sepulchra: ego tum viuum cadaver, aut viuum sepulchrum.

Quod tantis super sum aduersitatibus, tantis fortunæ fluctibus, viuus, vegetus, pilo, vultuque iuuenulo, accedens tamen ad senium, inter tot itinera, & agitationes, & maleuolentias, post Deum, musis tribuo, studiis, ac litteris: quæ dulcedine sua sopiuerunt, & incantarunt mea mala, & me inter mille voluptates honestas, mihi ac posteris vtilis enutriuerunt: vtilis cum elaborarem; vtilis etiam modo, quia iucundum præteritos recognoscere labores; vtilis & aliis post meam mortem, adeo ut ipsi qui me tãtopere oppresserunt (Deus nouit causas cur & quomodo) pro eo quod me enecarent, & viuum ante diem sepelirent, auxerint mihi vitam, vltra quam putabar victurus; alacrior & maior ipsis (volente Deo) viuum in scriptis mortuus; loquar, concionabor, euangelizabo mortuus, magis quam viuus; cum contra ipsis cum morte extinguantur omnia. *Perit memoria ipsorum cum scriptu perierunt quasi non fuerint.* Det Deus ut ego & ipsi, viuamus semper beati in cælo: Amen. Non potuissent igitur viuere extra illos labores, pœna fuisset maxima carere iucundis studiorum & scriptorum pœnis, inter tot cruces & afflictiones.

Quid? nonne homines inuenias, quibus sine labore vita grauis, qui sine litibus durare non possint, negotiis maxime molestis, maxime sumtuosis? Certe D. de Nouë agnominatus brachium ferreum, refert de quodam cui volupe erat totum mundum incesare litibus; cui Rex quidam Gallia hoc plane inhiuit: sed respondit illi, se 40. & amplius habere lites, & quandoquidem ita iuberetur, dimissurum omnes, seruaret tantum sex pro recreatione, ad fallendum tempus.

Cur igitur inuersimile SS. in cælo oblectari causarum coram Deo actionibus, cur non habeant quasi vitam & lusum post Dei visionem iucundissimum? Hoc gaudium accidentale supra essenziale? adeo ut si regium istud charitatis exercitium ipsis non permitteretur, putarēt ideo se minus fœlices, gaudium suum

Psal. 9.

Eccl. 44.

De Nouë 13.
dis. militari.

obfu-

obfuscari, si verbulū pro amicis loqui prohiberentur.

Quilibet Beatorum dicit nobis, *eum esse quastum, in Terent. in*
animum induxi, quam maxime seruire vestris commodis. prol. Heaut-

Regia crede mihi, res est succurrere lapsis.

toni.

Negare subsidium quod sine inquietudine prestare possis, est hominem non vt in cœlo, sed vt in terris vixit metiri: *ex illa facultate moderari, non quæ nunc est, sed quæ olim fuit*; id est dicere, beatitudine in qua modo sunt, postea nihil exaltari, nihil augeri. Est negare contra scripturas, & expressa Domini verba, homines gloria similes futuros Angelis.

Quod si hæc non negamus, affirmandum tam diueticis negotiis, Sanctorum tranquillitatem nihil turbari. Sunt enim Angeli quibus integra incumbunt regna, vt Angelus regni Persarum, imo quibus maior pars mundi, vt S. Michaeli tota incumbit Ecclesia; & tamen hanc curam sine inquietudine administrant.

Daniel 13.

Non sunt (inquit Augustinus) difficiles labores amanti
In eo enim quod amatur, aut non laboratur, aut laboratur.

D. August. de viduitate.

Imo vero si pro tot gentibus intercedere turbat beatorum quietem, multo magis beatissima Christi anima turbabitur, quam vlla alia: quia illa omnium tam in generali quam in particulari mediatrix est; hoc autem dici non potest, ergo nec illud. Vnde sequitur; Domini Calvinistæ & fratres in Christo, cur adeo quæso pij estis in Sanctos vt tantopere caueatis ipsorum in hac re molestiam? Si viuus aliquantulum in miseris dicantur assistere, ac rursus ira estis impij in SS qui sunt in purgatorio, quos iuuare non vultis vt citius in requiem tuam introeant, nec ipsi pro talibus orantes, nec permittentes vt orent alij. Certe nõ illic pij estis, & hic impij; sed impij vtrobique. Non enim admittitis vt illi qui supra in cœlis sunt, illos qui infra ipsos in terra agunt, iuuent, & pariter prohibetis nos, qui in terra sunt, iuuare fideles defunctos, qui infra terram purgantur. Obsecro vos nolite tam esse crudeles, sinite vt charitas quæ nunquam excidit, exerceatur inter Catholicos; vt beati nos iuuent, nos

iterum alter alterum; imo & charitatem nostram extendamus in purgatorium.

2. Iohann. 2.

Bene quidem (dices) sed hoc est Christo facere iniuriam vnici Mediatoris Dei & hominū vsurpare officium. Respondeo. Negare nos nō posse, Christum Iesum, vt inquit S. Iohan. nos habere Aduocatū in celis: sed illum simpliciter vnum esse, hoc negamus. Vnicum quidem concedimus Redemptorem, non vnicum intercessorem: in hoc enim Argelos & homines admittit socios. Aut vnicus etiā est, quia nullus talis qualis ipse mediator est. Ipse enim vt radix vivificat, & dat gratiam intercessionibus aliorum: ideo semper *per Dominum nostrum Iesum Christum*, claudit preces Ecclesia. Vnicus etiam, quia solus plus potest alii singulis, & omnibus: Phœnix est vnicus in mediationis actiuitate, non vnicus in intercedendū opere.

Respōderi fere posset hic, vt S. Greg. ad quæst. quomodo Christus dilectionē vocauerit suum mandātū, quasi illud solum præceperit, qui tam multa præcepit.

D. Greg. hom. 27. in Euang.] *Præcepta Domini multa sunt, & vnum: multa per diuersitatem operum, & vnum in radice dilectionis. Similiter igitur, mediatores multi sunt & vnus; multi, per diuersitatem operum, & vnus in radice exauditionis.*

Quid? Calvinus ipse Apostolos dicit eiusdē glorie socios, & Sacerdotes veteres appellat mediatores inter Deum & populum. Imo sane maiorem ipsi honorem habemus quam Calvinus. Christū enim nō tantum mediatorem facimus, vt reuera est; sed etiā beneficij colatorē. Nam ab ipso auxilia postulamus quādo vtimur intercessione B. Virginis, & SS. vt sc. ea nobis concedat per passionis suæ merita, in gratiam intercedentium; aut oramus ipsum talibus intercessoribus agere apud patrem amplius, quod alioquin per se facit: *Acer, & ad palmam per se cursurus honoris,*

Si tamen horterus fortius ibit equus.

Vt in aula honoratior est, quem miser oras apud Regem tantum intercedere: an qui rogatur tanquam potens, & regni particeps, ipsi iuuare: potestatem habes

vita

ta & necis, vt olim vel bini cōsules, apud Romanos, el Triūviri? Opinor quod posterior. Vter magis honorat Regē, qui recta vadit a Rege petitum delicti veniam; aut qui reueritus eius faciē præmittit alios magis spectatos pro se rogatū? nonne posterior? Nos vero quantum aliquādo Deo per peccata inuisi sumus? rectane igitur ibimus ad maiestatem diuinam, ad Christum, quem toties crucifiximus? Lucūdus sc. ipsi futurus noster aspectus. Loquat ad Dominū meū, cum sim *Genes. 17.*

Genes. 17. *factus sum tanquam nihilum ante te.*

Matth. 8.] *Domine non sum dignus vt intres, &c.*

Luc. 5.] *Exi à me Domine, quia homo peccator ego sum.*

Neutiquā: nō præsūmā saltem solus accedere, tam indignus: ibo per medios Sanctōrū choros, quæ am Virginem matrē, eosq; qui apud Deum gratia pollēt, medicabo auxilia, obsecrabo vt mea procurēt, vt me deducāt, vt pro me & mecum orent. Nonne satis audax facinus post tot sordes Virginē adire Virginum? Insinuabo me apud inferiorē, apud Magdalenā, apud humilem S. Franciscū. Nonne hæc in Dei redundāt gloriam? Elephas tanto apparet maior, quāto illi minus animalculum componis: Dei maiestas tanto apparet maior, quāto te minorem feceris. Sic intelligebat B. Virgo suū *magnificat anima mea Dominū*: i. quo me deprimō magis, rāto magis Dei maiestatem extollo. Et hic honor Sanctōrū redit in Deum, à quo acceperunt tantum posse. *M. hi autem nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 149. *Psal. 138.*

Gloria hac est omnibus sanctis eius. Hester 6. *Sic honoratur, quem Rex voluerit honorare.* Si in hac vita honorat, bonos pro bonis intercedere (*ad aliquem Sanctōrū inuerrere, inquit Iob, pro hac orabit ad te omnis Sanctus Iob. 5.* tempore oportuno.) Vt Iob oret pro amicis, Apostoli *Psal. 31.* pro Chananea, Pharisei pro Centurione, &c. nonne a cælo magis honorat est, vt idē faciāt? Quis dubitat factos in paradiso Deo esse chariores, quia ipsū ardentius, cōstantius, & gloriosius modo diligūt? Si hic qui nobiles fuerunt, ibi iā magni domini sunt: Principes, cognati, fratres, participes coronæ. Non igitur iniuriam

riam Christo facimus inuocantes Sanctos vt pronobis intercedant.

Catholicus quidam, disputationis gratia, respondit mihi nonnunquam mittere Sanctos ad Deum pro nobis, esset exponere ipsos nonnunquam rubori, si videlicet postulata non impetrent: non enim scimus quid cōcessurus sit Dominus. Sed respondi ipsi quod modo non esset ex illa parte Sanctis periculum: vident enim in Deo quid decreuerit nullo modo concedere, & quæ sub conditione, ne frustra intercedat. Quare, supposito nō oraturos ipsos ea, quæ sciunt non impetrabilia, sed tantum quæ sciunt sub conditione impetrari posse, periculum nullum est confusionis & repulsæ. Si vero orent atque impetrent, cum gloriandeunt. Videte, dilectissimi, quomodo Sanctorum intercessionem adstruxerim: vtamur ergo illa, nec rocamus Deum, vt Prodigus patrem, sine intercessione vlllo: sed imploremus viuos, & mortuos, Angelos etiam, vt apud Saluatorem nostrum Christum Iesum, pro nobis intercedant, vt dignetur nos aliquando ad gloriam deducere æternam. Quod nobis concedat Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.
Amen.